# DE UTILITATE LIBRI PRAEDICAMENTORUM

Quoniam utilitas artis non est aliud nisi finis coniectatus, qui praecognoscendus (390), ideo utilitatem huius libri perquirere non erit inutile.

Quaerimus ergo, si liber iste non sit logicus, neque metaphisicus diminutus sine isto libro, ad quid ergo utilis liber iste, iurarem librum istum non ab Aristotele fuisse aeditum, vel quod sit alter Aristoteles, sicuti quidam dicunt, utcumque sit tamen necessarius; quisquis assuetus in eius doctrina facile potest perspicere quod non suus sit loquendi mos ita longo et claro sermone, neque vis illa quae in ceteris perspicitur eius libris in arguendo atque respondendo. Etsi dicatur forsitan quod loquatur incohantibus, adeo claro utitur sermone, hoc non erit verum immo apparet manifeste quod in principio cuiusque operis semper Aristoteles apponit venenum, et quid obscurius dici potest, quam liber Perihermeneias, et maxime in quibusdam locis secundi libri. Ego igitur credo firmiter quod iste non sit Aristotelis liber cuius alia restant opera. Mos enim eius loquendi ab isto differt quantum coelum ab ipsa terra, in Aristotelis qui doctrina assueti facile tamen perspicere possunt differentiam. Sed quoniam, ut saepe saepius exclamat Averroes et Aristoteles (391), consuetudo in aliqua re etiam manifeste falsa non patitur discernere veritatem, immo absonum et abbominabile videtur, si quis contra illud quidquid dicere auderet, cum tamen in rei veritate manifeste sit falsum. Non mirum igitur si tanti viri librum ipsum et Aristotelis et logicum esse tamquam clarum praesupponant. Tum etiam quoniam ipse met hic et in metaphisica in quibusdam locis videtur sibi contradicere.

Si tamen Aristotelis sit iste liber ipseque in logica locaverit, non alia ratione factum hoc fuisse credo quam ista. Pro qua declaranda sumimus unum saepius notatum (392). Praecognitio quid nominis est principium omnis cognitionis. Noto secundo isti termini metaphisicales sunt termini communissimi (393) ingredientes omnes artes et scientias.

Sumimus alterum intentionem ipsius logices esse conficere omnia instrumenta, per quae poterimus cognoscere omnia quaesita ignota in aliis artibus et scientiis (394), itaque in logica non dicuntur sillogismi tales vel tales ad probandum talia vel talia quaesita, sed dantur regulae et conditiones quomodo debeat esse demonstratio propter quid, scilicet ex terminis necessariis et causa necessaria, scilicet per se, de omni, et in quantum ipsum.

Et quoniam res logicales sunt fere per se notae, sicuti supra probatum, et qualis materia tale debet esse instrumentum, ideo ad declarandum haec Aristoteles manifestat semper exemplo vel aliqua ratione facili, ut plurimum tamen exemplo, quod exemplum non potest fieri in rebus logicalibus, quum tunc procederemus per aeque notum vel ignotum, ideo semper sumit Aristoteles ad declarandum has regulas per exempla terminos metaphisicae quis sunt communissimi, sicuti sunt ista decem praedicamenta propter suam communitatem, sicuti sunt etiam matematica, et ideo ne omnino ignotis utatur terminis in exemplificando et declarando per exempla res logicales, ne utatur terminis ignotis, et exemplum procedit ex notis (395); ideo dicimus Aristotelem fecisse hunc tractatum, in quo cognoscat terminos in quibus utatur exemplo ad declarandum logicalia, cum omnibus doctrina fiat ex praeexistenti cognitione quid nominis, etiam exemplificativa.

Sed dubitare posset aliquis (396): praecognitio quid nominis est necessaria ante omnem doctrinam, cum ergo in hoc libro praecognitio fiat, merito necessarius.

Ad hoc supra fuit responsum (397): praecognitio esse et quid nominis necessaria in arte, est subiecti passionis et principii, quae sunt necessario considerata (398). Praecognitio ergo quid nominis necessaria erit rei

AngeloThio.it - License: CC Non-commercial Share Alike (cc) BY-NC-SA
http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/3.0/

necessario consideratae in arte, liber autem Praedicamentorum non necessaria consideratio ipsius logices, et ideo eorum praecognitio quid nominis non necessaria in logica, sed potius ad bene esse, et ad declarandum res necessarias rerum logicalium.

Et ex hoc patet rationem ipsius Madii nullam esse, probat enim quod in hoc libro non consideratur de substantia in quantum substantia est, quia tunc diminutus foret Aristoteles. Nam in eodem tractatu de principio et principiato, quoniam ergo in hoc libro non tractat de principiis substantiae, ergo non de substantia in quantum substantia est.

Responsio Mirandulae erat concedendo quod iste liber sit diminutus atque imperfectus, perfectus autem si coniunxerimus ipsum metaphisicae.

Nos autem improbavimus rationem Mirandulae supra.

Restat respondere rationi ipsius Madii et dicimus quod signum sermonis veri est solvere omnia dubia et ideo sumimus unum pro responsione, aliquid posse considerari in arte duobus modis, de necessitate et ad bene esse, sicuti dicebat Aristoteles (399); quae consideratio est ad bene esse, non autem necessaria in illo loco, sed ut commodius declaretur aliquid necessarium in illa arte, et ideo dicitur non necessaria, sed ad bene esse illa consideratio: et ideo eius consideratio non est necesse ut omnino perfecta, sed quantum sufficit ad propositum declarandum (400) alia sunt quae considerantur in arte necessario quae sunt illa quattuor saepius dicta locis supra dictis, subiectum, species subiecti, principia et passiones, quorum omnimodam et perfectiori modo quo possumus doctrinam perquirere debemus.

Quoniam igitur haec necessario sunt consideranda a metaphisico, quia species entis, et species necessario in illa met arte in qua tractatur de genere. Ideo dicimus omnimodam et perfectam eorum cognitionem in metaphisica tradendam esse et ibi omnia principia, accidentia passionesque propriae istorum investigandae in logica vero quoniam non necessario, sed ad declarandum necessaria logices, ideo non perfectam eorum cognitionem requirimus in logica, sed quantum sufficit logico, scilicet tantum confusam cognitionem eorum habendo, scilicet quid significat hoc nomen substantia et sic de aliis praedicamentis. Ad quod peragendum sufficit Aristotelem per proprietates ostendere et manifestare quid sit substantia quae, cum una et eadem numero sit, non possit suscipere contraria quae cognitio confusa et non distincta, quoniam distinctam in Metaphisica.

Etsi dicatur quod Aristoteles perfecte considerat substantiam quoniam demonstrat proprietates et accidentia de ipsa, ad hoc clare possumus respondere per regulam suam (401) quod Aristoteles non demonstrat sed declarat ac manifestat quid sit substantia, per accidentia, quae declaratio potest aliquando fieri per accidentia communia (402), dummodo clarius intelligatur illud quod declarare intendimus.

Sed quaeritur iterum: diffinitio (403) facit cognitionem distinctam, cum ergo diffiniat ista in libro Praedicamentorum, et eodem modo sicuti in Metaphisica, ergo in Metaphisica distinctam habemus cognitionem istorum, quare et in libro Praedicamentorum.

Ad quod facilis est responsio, notando quaedam (404): aliquando eadem diffinitio potest esse quid rei et quid nominis, quid rei si per verum genus et verum differentiam, et partes eius perfecte intelligantur; illa vero eadem diffinitio poterit esse quid nominis si non in propria arte, vel in principio artis, quoniam tunc non perfecte partes eius intelliguntur; in Metaphisica perfecta eius consideratio et necessaria, et quid rei et quid nominis possunt esse diffinitiones, hic autem quid nominis tantum numquam quid rei. Unde differunt istae duae considerationes, in metaphisica necessaria consideratio haec, quia de speciebus entis et diffinitionis istae, quid rei et quid nominis, quid nominis si non perfecte partes intelligantur, quid rei si perfecte.

AngeloThio.it - License: CC Non-commercial Share Alike (cc) BY-NC-SA
http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/3.0/

In logica vero non necessaria consideratio, quia non species vel aliquid subiecti logices consideratur, nec perfecta de his hic habenda consideratio, sed quantum sufficiens logico, et semper in logica quid nominis possunt esse istae diffinitiones non autem quid rei.

Restat unum, quod quis quaerere posset, scilicet quomodo verificantur exempla et quis modus exemplificandi in istis rebus ad declarandum res logicales.

Respondeamus sicuti fecit Porphirius capite De specie, cum dixerat quod in unoquoque genere sunt quaedam generalissima et quaedam specialissima et quaedam media, declarat hoc exemplo in praedicamento substantiae, unde dicit, sit autem, hoc manifestum in uno praedicamento quod dicitur substantia, etc.

Sic etiam fecit Aristoteles (405) postquam dixerat quod quaedam sint praedicata quid quaedam in quale, manifestat hoc in ipsis praedicamentis, scilicet quod inveniantur quaedam praedicata in quid, quaedam in quale, scilicet quod in unoquoque praedicamento inveniantur praedicata in quid, sicuti in substantia et aliis praedicamentis.

Sic etiam in libro Posteriorum in quo agitur de praedicato necessario, per se, de omni et in quantum ipsum semper verificat in terminis ipsis ipsorum praedicamentorum, verbi gratia dictum de omni est: quando praedicatum praedicatur de omni subiecto et in omni tempore, dat exemplum sicuti animal de homine, per se in primo modo, quando praedicatum sumitur in diffinitione subiecti, ut animal et rationale in diffinitione hominis exemplificat in homine, rationali et animali.

Secundus modus quando subiectum in diffinitione praedicati, ut risibilitas de homine, in quantum ipsum et universale praedicatum, ut habere tres de ipso triangulo in quantum ipsum: ipsi vero figurae generi suo, vel isocheli suae speciei per accidens, non autem per se.

Sic etiam quid sit genus quod aptum natum praedicari in quid, de pluribus speciebus ut animal de homine et equo, sic universaliter omnia logicalia semper manifestantur in his terminis.

Patet igitur quomodo regulae logices exemplificantur et declarantur in his terminis metaphisicalibus decem praedicamentorum.

## Note

390) 3° Eth., cap. 6°; 7° Meth., cap. 23°

391) 2° Meth., cap. 25°

392) 1° Post., Arist. et Averr. et Themistius clarius, 2° Post., cap. 9°

393) 1° Phis., cap. 8°; 1° Post., comm. 69°; 4° Meth., capp. 1° et 5°

394) 1° Top., cap. 8°

395) 1° Post., cap. 1°; 2° Prior., cap. De exemplo

396) 1° Post., cap. 2°

397) 1° Post., capp. 2° et 25°

AngeloThio.it - License: CC Non-commercial Share Alike (cc) BY-NC-SA
http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/3.0/

398) Ibi met et cap. De unitate scientiae, comm. 178°

399) 1^ Perihermeneias, cap. De voce et 1° Prior., cap. De speciebus praemissarum

400) 1° Prior., cap. 1°

401) 1° Phis., cap. 2°; 1° De anima, cap. 11°

402) 1° Top., cap. 5°

403) 1° Phis., cap. 5°

404) Averr., 1° Post., cap. 2°; 2° Post., cap. 7°

405) 1° Top., cap. 7°

Tutti i contenuti di questo documento sono pubblicati sotto la Licenza Creative Commons: NC-SA
Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 3.0 License

AngeloThio.it - License: CC Non-commercial Share Alike (cc) BY-NC-SA
http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/3.0/